



# Dissertatio juridica inauguralis de furtis

<https://hdl.handle.net/1874/341919>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
I N A U G U R A L I S,

D E

# F U R T I S, *Q U A M,*

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici Rectoris,*

## D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ

Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimaeque*

*Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Priviliegii ritè, ac legitimè consequendis.

*Eruditorum Examini subjicit.*

C A R O L U S M A R T E N S, Ultrajectinus.

A. D. 12. Junii, hora locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiam  
Typographi, clc Icc LXXXVIII.

*Amplissimo, Gravissimo  
V I R O,*

D. D. JACOBO MARTENS,

J. U. D. inclytæ Reipublicæ Ultrajectinæ Senatori & Exscabino  
consultissimo, ac nomine Illustrissimorum hujus Provinciæ  
Ordinis Equestris Procerum à rationibus publicis Assessori vi-  
gilantissimo, Parenti meo omni filiali amore prosequendo, ve-  
nerando.

NEC NON

*Consultissimo, atque Honoratissimo  
V I R O*

D. D. CAROLO MARTENS,

J. U. D. nuper ad illustre collegium Archithalassicum quod  
est Roterodami, deinde etiam ad Cameram Rationum foede-  
rati Belgii hujus Provinciæ nomine delegato, nunc vero So-  
cietatis Indiæ Orientalis Moderatori prudentissimo, Patruo ad-  
modum reverendo, colendo.

*Hanc Disputationem Juridicam Inauguralem*

Offero & inscribo

CAROLUS MARTENS.

*Auct. & Resp.*

# PRO O E M I U M.



Rtem juris promovet non pa-  
rum ipse ille bonos , ad quem  
promovemur juris Candidati . Bo-  
ni non solum sed & docti præ-  
miorum exhortatione efficimur.  
Inter præcipua , quæ juveniles  
meliora sperantes accendunt  
animos , Lauream esse doctoralem ( quam gene-  
rosa tot ambiunt pectora ) quis nescit ? hanc ut  
reportarem dedi operam , quantum ingenii pateren-  
tur rires , quantum industria . Laborandum  
esse vidi .

Indoctus quid enim saperet , liberque laborum ?

Optatam studiis Academicis metam qui attin-  
gunt , eruditionis in lucem edunt specimen , de-  
fendendumque sibi præscribi sinunt , quod ut cum  
laude defendant , vigiles esse oportet . Invigi-  
landum erat & defensuro mihi . Igitur in jus  
quasi vocando furtta , nunc venio actor : patroci-  
nium præbiturus furtum passis , delictum nempe  
adeo sua natura turpe , ut servilis probri & op-  
probrii nota ei inuratur :

A 2

Au-

Audent cum talia fures,

inquit Virgilius, *id est servi*, ait Servius. *Ab alieno facile abstinerent mortales*, si vita rationem redderent. *Otium & inertia furacium sunt nutrictes manuum*. Obnoxii denique animi atque infelicitatis est, deprehendi in furto malle, quam a furcis abhorrere, suumque tribuere cuique. Sed ne solum disciplinae morumque custodes dicantur (ut dicti aliquando fuerunt) Areopagitae, ad Romanos hic deveniamus, eorumque in fures pœnas, quas dare maximum mali est remedium. Castigare noxam oportet, non ob præteritum delictum, cum id corrigi nequeat, sed ne peccetur iterum: tum ne alterius exemplo cæteri quoque peccent, quod fit si crimina non puniantur: facilitas enim veniae formes est delinquendi, & maxima peccandi illecebrosa spes est impunitatis: punienda ergo sunt maleficia, ut unius pœna metus possit esse multorum l. i. C. ad L. Jul. Repet. Sed ne argumenti nostri scopum prætereramus, paucis rem ipsam nunc aggrediamur.

D I S-

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
FURTIS.  
THESIS I.



Arias Furti denominations fuisse constat.  
*ex §. 2. f. de obl. que ex del. nasc. l. 1. ff. de  
furt. quod alii furtum dictum voluerint  
afurvo, id est nigro, inter quos Varro &  
Labeo, quod per obscuras & atras noctes  
facilius furentur. Alii furtum ab antiquo  
verbo φωτι Latinis fur appellatum scribunt,  
inter quos est Gellius. 1. noct. attic. cap. 18.  
Fur definitur, qui dolo malo rem alienam  
contraēt lucri faciendi causa, & a Plauto in Aulul. vocatur, homo  
trium litterarum. Per Ironiam tamen apud antiquos homo trium  
litterarum dicebatur ille, qui vanis nobilitatis titulis delectabatur:  
ex eo autem ductum est proverbium, quod ingenui suum præno-  
men, nomen, & cognomen tribus litteris notarent, ut pro Quinto  
Valerio Maximo. Q. V. M. ut P. Manutius in Adagiis animad-  
vertit. Alii adhuc a fraude, vel etiam a ferendo furtum censem de-  
nominatum, inter quos Sabinus. Alii denique utramque retinent  
ætymologiam, inter quos Paulus. l. 1. ff. d. t. quem sequitur Tribonianus in d. §. 2. ut qui omnium origines nullā rejectā proponit,  
quasi omnes tacite approbare videatur. arg. l. 142. ff. de R. f. Veteres  
quoque omnia quæ clām & furtim siebant furtū dicebant: unde  
pro adulterio & clandestino coitu sēpe a Poëtis est usurpatum, ut  
apud Virg. lib. 4. Georg.*

*Inter quas curam Clymene narrabat inanem  
Vulcani, Martisque dolos, & dulcia furtū.*

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

Aliquando etiam sumitur pro insidiis, ut cantat Virg. lib. 10.  
Æneid. dum loquitur de Mezentio, qui Orodem interemit.

Obvius adversoque occurrit, seque viro vir

Convulit, band furo melior, sed fortibus armis.

At satis de vocis ætymologia & homonymia, transeamus potius  
ad definitionem, quæ in quacunque re explicanda præcipue atten-  
denda est.

### I I.

Est autem furtum alicui clam, occulte & sine armis sua eripere:  
vel furtum est alterius bona mobilia, vel usum eorum contra pos-  
sessoris consensum animo furandi fraudulente auferre: aut si mavis  
Jurisperitorum definit: *furtum est contrectatio fraudulosa, lucri  
faciendi gratia, vel ipsius rei, veletiam ius ejus possessionis ve, quod  
lege naturali prohibitum est admittere.* l. 1. §. ult. ff. de furt. Hujus  
definitionis singula verba nobis expendenda sunt. Dicitur *contrecta-  
tio* non ex rigore grammatico, vel quovis contactu rei alienæ,  
quæ nullum obligat ullo crimine: sed contrectationem Jurisperiti  
omnes hic intelligunt actualem rei alienæ ablationem, seu de loco  
in locum motionem. l. 3. §. 18. ff. de adquir. vel amitt. poss. nam  
furtum sine fraudulosa contrectatione fieri nequit: licet igitur  
voluntas furandi & auferendi adfuerit, aut licet id ipsum conce-  
ptis verbis, aut scriptis quis minatus fuerit, sola tamen nuda cogi-  
tatio, aut consilium, aut furandi voluntas, aut scriptura, aut  
contactus furem facere non possunt. l. 1. §. 1. ff. b. t. exemplum  
ea de re nobis occurrit. in l. 21. §. 7. ff. b. t. quæ dicit non esse fu-  
rem qui furti faciendi causa conclave intravit & nihil attigit, sed  
injuriarum aut de vi actione teneri: enim vero qui rem contrecta-  
vit, licet occiderit, fregerit, effuderit, abjecerit id quod furatum  
venerat, furti reum esse. l. 10. ff. de cond. furt & l. 7. ff. b. t. Ge-  
neraliter autem furtum committit, qui alienam rem invito domi-  
no contrectat. §. 6. f. de obl. quæ ex del. nasc. Sed hic quæri potest  
an furtum saltem non committatur sine contrectatione per solam  
inficiationem, ut si quis rem depositam aut commodatam lucri  
faciendi gratia inficietur, quod negatur per. l. 67. ff. b. t. Paulus  
quoque in l. 3. §. 18. ff. de adq. vel amitt. poss. præter inficiationem,  
inquit, requiritur ut res loco moveatur, vel furti faciendi causa  
contrectetur:

contrectetur: si loco non moveris, plerique veterum, & Sabinius & Cassius responderunt, possessorem me manere, quia furtum sine contrectatione fieri non potest.

## I I I.

Sequitur vox *fraudulosa*, quia furtum sine dolo aut affectu furandi, id est rem intervertendi domino, non committitur. *l. 46.*  
*§. 7. l. 50. §. 2 ff. b. t. l. 41. §. fin. ff. ad l. Aquil.* cui non est contrarium quod Pomponius scribit, eum qui saccum cum pecunia surripuit, furti, etiam facci nomine teneri, quamvis facci surripiendi animum non habeat. *l. 77. ff. b. t.* nam etsi in hujusmodi specie principale propositum non est, saccum furari, tamen per consequentiam, quo scilicet commodius pecunia auferri queat, etiam saccus animo surripiendi ablatus intelligi debet. Hinc sequitur 1. quod res debeat esse aliena, quae certum habet dominum, quia nemo rem suam, quatenus nihil in ea alieni est, furto auferre potest. *l. 21. ff. commod. l. 15. l. 53. §. fin. ff. b. t.* Speciale est quod servus sui ipsius furtum faciat. *l. 60. ff. b. t. 2.* Sequitur quod furtum fiat invito domino. *l. 48. §. 2. ff. b. t. §. 6. J. de obl. q. ex del. nasc.* rei itaque pro derelicto habitæ non sit furtum, licet accipiens habuerit animum furandi. *l. 43. §. 5. ff. b. t.* nec haereditati jacenti, quia nullius in bonis est, atque ita nemo est cui fraus fiat. *l. 1. ff. de rer. divisif. l. 68. ff. b. t.* sed est crimen expilatæ haereditatis, & ad exhibendum agitur. *l. 2. ff. expil. hered.* non tamen sine furti criminе tollere quis potest illud, quod in via publicâ jacet, sive sciatis, sive ignoret cujus sit. *d. l. 43. §. 4. b. t. & D. Tilden. comment. cap. 8. 3.* Si quis crediderit se volente domino facere, quod re vera facit invito, tamen non committit furtum. *§. 7. J. de obl. q. ex del. nasc. l. 46. §. 7. b. t.* sicut a contrario, si quis credat invito domino se contrectare, cum re vera id fiat volente, etiam non facit furtum. *§. 8. J. cod.* quia volenti non sit injuria. *l. 145. de R. J.* sed tamen in conscientia est furtum, quia animus furandi adfuit: interdum tamen accidere potest ut etiam ex voluntate domini, si quis capiat, furti teneatur, ut si quis dominum deceperit simulatio nomine alterius, exemplum est. *in l. 52. §. 11. ff. b. t.* Illud quoque hic observandum est, fraudis mentionem ideo fieri, ut discernatur furtum a rapinâ, actus clandestinus a violento: nam etsi gene-

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

rali significatione & visfraudem & dolum habet. *I. 2. §. 8. ff. vi bon. rapt.* Specialiter tamen fraudis appellatione ea injuria significatur, quæ occulte fit & clanculum, cum vis sit aperta, quo pertinet illud Ciceronis. *Fraudem vulpecula, vim leonis esse.*

### I V.

Non sufficit tamen fraudulentam rei adesse contrectationem; nisi ea fiat *lucri faciendigratia*. Hæc verba causam furti finalem continent, & præcipue furtum a cæteris maleficiis separant. *I. 8. §. 2. ff. arb. furt. cœf.* Nam quod alium finem habet propriæ furtum non est, sed aliud delictum: ut si contumelæ causa fiat est injuria. *I. 53. pr. b. t.* si nocendi tantum gratia, damnum quod vindicatur *L. Aquilia. I. 41. §. ult. ff. ad L. Aquil.* item si quis ancillam meretricem libidinis explenda gratia abstulerit, non facit furtum. *I. 39. pr. ff. b. t.* aut qui tabulas instrumentaque amovet, non lucrandi animo (nam sic furtum committeretur. *I. 27. ff. b. t. I. 16. pr. ff. de fals.*) sed occultandæ veritatis causa. Hic enim potius in falsi crimen se induit. *d. I. 16. in fine.* Itaque non tam factum quam voluntas & animus faciendi maleficia distinguit. *d. I. 53. b. t.* Hinc minores dolii incapaces, furiosi & amentes furtum non faciunt. *§. 18. f. de obl. q. ex del. nasc.* nihil quoque interest sive ipsam rem quis lucrari velit, sive usum rei vel possessionem. *I. 15. I. 20. ff. b. t.* quod enim jus est in tota re, idem est in parte, aut usu rei. *I. 76. ff. de R. Vind.*

### V.

Additur in definitione *vel ipsius rei, veletiam usus ejus possessionis-ve.* His verbis indicantur objecta furti. Quod ad res attinet, illa debet esse corporalis & mobilis. *I. 25. ff. b. t.* Immobilia enim (ut ipsa vox sonat) propter summam suam gravitatem & onus, moveri & contrectari vel auferri non possunt. Si tamen quis cretam ex fundo alieno abstulerit furtum committit, non quod cretam effoderit, sed quod eam scilicet mobilem effectam abstulerit. *I. 57. ff. b. t.* Sub rebus mobilibus etiam continentur res se moventes, ut servi, jumenta & alia animalia. Quin & liberi hominis furtum fit. *§. 9. f. de obl. q. ex del. nasc. I. 14. §. 13. I. 38. ff. b. t.* nec interest cuius pretii res sit ablata, nam etiam rei minimæ furtum fit, sufficiente affectu furandi, qui in parvis æque, atque magnis rebus deprehenditur.

prehenditur. §. 16. *J. de R. D. l. 37. ff. b. t. Nov. 69. cap. 1.* & re vera si ipsam rem inspiciamus est deterior quo ad animum, qui rem minimam abstulit, quam qui invitatus re egregia ita deliquit. *U*sus furtum committit dominus surripiens rem commodatam commodatario, depositarius utens re deposita, creditor pignore, item commodatarius aliter utens re commodata, quam concessum est. §. 6. *J. de obl. q. ex del. nasc. l. 40. l. 54. ff. b. t.* Item si fullo aut sarcinato utantur vestimentis, quæ polienda vel sarcienda acceperunt. *l. 82. pr. ff. b. t.* Possessionis furtum facit debitor auferendo a creditore pignus. §. 10. *J. de obl. q. ex del. nasc. l. 12. §. ult. ff. b. t.*

## V I.

Denique subjicitur quod *lege*, id est, *jure naturali* prohibitum est admittere. Notandum est hanc clausulam ad substantiam definitionis non esse necessariam, ut & in definitione tutelæ de eâ clausulâ, *jure civili* data ac *permissa*. §. 1. *J. de tutel.* & in definitione obligationis, *secundum nostræ cœritatis jura*. §. 1. *J. de obligat.* Indicat tamen hujus maleficii turpitudinem, quam vel ipsa natura, id est ratio naturalis detestatur. *l. 42. ff. de V. S.* Ipsa enim natura hoc omnium mentibus ingeneravit, nefas esse alteri detrahere sui comodi causa. Sic *Ciceron lib. 3. offic.* *Illud natura non patitur ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augemamus.* Et *Pomponius in l. 14. de cond. indeb.* *Hoc natura equum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.* Sed ex prædictâ clausulâ dubium quoddam oriri videtur, sc. quomodo furtum, quod est violatio dominii jure naturæ vetitum esse queat, cum dominia jure gentium demum introducta sint, quasi contradic̄tio sit, dominium statuere juris gentium, & furtum, quo dominium violatur, jure naturæ esse vetitum. Responsio trita est, illud nequaquam sequi, jus naturæ de aliqua re præcipit, ergo illa res fuit in primo statu naturalium rerum. Jus naturæ cunctas societatis humanæ actiones morali præscripto regit, quamdiu illa durat. Sic *Grotius. lib. 1. cap. 1. §. 10. Sciendum, jus naturale non de iis tantum agere, que et rā voluntatem humanam existunt: sed de multis etiam que voluntatis humana actum consequuntur.* Dominium, quale nunc in usu est, voluntas

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

tas humana introduxit: at eo introducto nefas mihi esse id arripere te in vita, quod cui est dominii ipsum indicat jus naturale, quod tunc vires suas exeruit. Nihil quoque in contrarium movet, quod apud varias gentes furta & latrocinia licita atque impunita fuere, ut apud Ægyptios & Lacedæmonios, de quibus vide Gell. lib. II. cap. 18. Alex. ab Alex. lib. I. cap. 24. Quoniam pravi Gentium mores & contra rectam rationem receptæ consuetudines non evertunt jus naturale. Præterea Ægyptii & Lacedæmonii non promiscue omnium rerum furta permiserunt, sed tantum edulium, neque omnibus furari, sed junioribus duntaxat, quos furtim sibi alimenta comparare voluerunt, ut acuerent industrias, disserentque a pueris, noctu vigilare, interdiu fallere, insidias struere, exploratores habere: quoniam deprehensos verberibus cædi jubebant: ita adultos bello utiliores fore existimantes, teste Xenophonte lib. de Rep. Lacedam. & Diod. Sicnl. lib. 5. Bibliorh. cap. 18.

## VII.

Post furti definitionem ad ipsius divisionem procedendum est. Dividitur furtum in manifestum & nec manifestum. l. 2. ff. b. t. §. 3. f. de obl. q. ex del. mæso. hæc divisio furti est pervetusta, puta ex L. XII. tabb. ut videre est apud Agell. lib. II. cap. ult. & apud Festum in verbo nec, ubi veteres docet nec usos pro non. *Furtum manifestum* est cum fur deprehenditur in ipso furto, vel ante quam rem furtivam eo detulit, quo isto die deferre destinaverat. l. 3. 4. 5. 34. ff. b. t. Nihil refert a quo fur deprehendatur, utrum a domino, a vicino, sive quolibet alio transeunte. d. l. 3. §. 1. l. 7. §. ult. eod. quod sane ita debet intelligi, ut Accursius interpretatur, sive deprehendens negotium meum gerat me sciente, sive etiam me inscio, cum per ratihabitionem rem meam gessisse intelligatur, ipso enim gestu res meas gessisse dicendum est. Neque hac ratione sit, ut alteri per alterum obligatio acquiratur contra regulam juris. §. 4. f. de iniuril. stip. nam deprehensio cuiuscunque ea sit, delictum tantum qualificat. Nihil quoque interest an in publico loco vel privato sit deprehensus. l. 5. ff. b. t. *Manifestus* præterea dicitur, licet non fuerit comprehensus, dummodo cum re furtiva fuerit visus.

l. 7.

*l. 7. §. 2. ff. b. t.* non quidem nude, sed oportet ut excitato clamore monitus fuerit, velut i fures, fures! aut quo te fur proripis? quo-  
ve res abit mea? nam & ex L. XII. tabb. clamor exigebatur, ante-  
quam licet furem occidere. *l. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil.* secus si do-  
minus, cum videret furtum sibi fieri, abscondit se, ne occideretur.  
*d. l. 7. §. 1. ff. b. t.* potius clamandum erat.  
— quo nunc se proripit ille &c.

## VIII I.

*Furtum nec manifestum est*, cum fur neque deprehensus neque conspectus est cum re furtiva, sed tamen constare debet cum fur-  
tum commisisse. *l. 5. §. 1. ff. b. t.* Interdum hujus furti tenetur &  
ille, qui ipse furtum non fecit, id est, qui rem ipse non contrectavit,  
veluti is cuius ope, vel consilio furtum factum est. *§. 11. f. de obl. q.*  
*ex del. nasc. l. 34. ff. b. t.* *l. 27. §. 21 ff. ad L. Aquil.* consilium dare  
videtur, qui perluadet & impellit atque instruit consilio ad furtum  
faciendum. *l. 50. §. 3. ff. b. t.* Consilium vel generale est, ut si quis  
alicui de inopia querenti in genere persuaderit furtum, cuius nomi-  
ne nemo furti obligatus, quantumvis furtum secutum sit. *§. 11.*  
*f. d. obl. q. ex del. nasc.* vel speciale est, quo tempus, modus,  
persona, occasio indicatur ad furtum faciendum, exempli causa,  
si quis furi rationem penetrandi in ædes, vel locum ubi pecunia re-  
posita est, commonstret. Hæc consilii species, et si nullum porro  
ministerium, seu opera accedat consulentem obligat. *Opem fert,*  
qui ministerium & adjutorium ad surripiendas res præbet. *d. l. 50.*  
*§. 3. ff. b. t.* ut quis ferramenta sciens ad effringendum ostium com-  
modaverit, vel armarium, vel scalas ad ascendendum supposuerit.  
*l. 54. §. 4. ff. b. t.* aliud est si ignoraverit. *l. 59. §. 2. ff. b. t.* non sa-  
tis adhuc expeditum est, an illa verba ope & consilio conjunctim sint  
intelligenda, an separatim, itaque an sufficiat solum consilium, vel  
solam operam adhibuisse? dubitandi ratio est, quod in multis legi-  
bus utrumque conjunctim proponitur. Explicatur illud quidem  
in *l. 53. §. 1. ff. de V. S.* sed ambigue, ita ut ex ipsa lege quidam  
conjiciant utrumque simul desiderari. Probabilius tamen est illa  
verba separatim esse accipienda, ut etiam ex solo consilio & ex sola

## 12 DISPUTATIO JURIDICA

ope quis possit teneri. Nam Iustus in d.l. 50. §. 3. ff. b.t. separat utriusque definitionem. Idem quoque Ulpianus non obscure indicat. in l. 52. §. 19. ff. b.t. ubi opem ferre, vel consilium dare. Et clarius in l. 6. ff. de cond. furt. ubi idem Ulpianus dicit, actione furti tenetur non solum cuius ope, & consilio simul furtum factum est, sed etiam is, qui vel consilium tantum dedit, vel tantum opem tulit.

## I X.

Est & alia quadruplex divisio in §. 4. *f. de obl. q. ex del. nasc.*  
*nempe concepti, oblati, prohibiti, & non exhibiti furti: conceptum*  
*furtum dicebatur, quando res furtiva præsentibus testibus apud ali-*  
*quem quæsita & inventa esset; oblatum quando quis rem furtivam*  
*alteri obtulerit, ut apud eum conciperetur, si utique ea mente da-*  
*ta esset; prohibitum, quando quis furtivam rem quærere, testibus*  
*præsentibus, volentem prohibuisset; non exhibitum, quando quis*  
*furtivam rem, apud se quæsitam & inventam non exhibuisset. Sed*  
*hæc non tam furti genera sunt, quam species actionum furto co-*  
*hærentium, quæ in desuetudinem abierunt, propter sublatam ve-*  
*terem investigandæ rei furtivæ consuetudinem atque licentiam. d.*  
*§. 4. illud tamen in usu mansit, ut si suspicio aliqua sit, rem furti-*  
*vam in domo alterius esse, is qui furtum passus est, possit sciente*  
*& præsente judice rem suam quærere, & si alter dicat se emisse te-*  
*neatur nominare suum auctorem. l. 5. C. b.t. Antiqua illa inqui-*  
*sitio fiebat ex lege xii. tabb. per lancem & licium teste Gellio lib. ii.*  
*cap. 18. & lib. 16. cap. 10. ut si quis in alicujus ædibus furtum vel-*  
*let quærere, illud faceret nudus, cinctus licio, ne posset aliquid*  
*sub vestibus occultare & inferre, quo innocentem faceret reum,*  
*& lancem ante oculos tenens, ne honestas videret in domo matro-*  
*nas, juratusque Deos legum custodes sese reperiendi Ispe furtum*  
*quærere, & tunc quidem alter ille apud quem furtum quærebatur,*  
*domum suam ei qui furtum quærebat aperire, & in obsignatis &*  
*non obsignatis locis liberam furti inquirendi potestatem facere co-*  
*gebatur, quem morem primum a Græcis usurpatum, deinde in*

Ro-

Romanam Rempub. inventum fuisse constat. Ex Platone lib. 12. de Legibus.

## X.

Præterea *furtum* adhuc varie subdividitur. 1. Quod aliud sit *diurnum*, aliud *nocturnum*. Posterior hoc *furtum* gravius puniatur, quia in quandam incidunt latrociniī speciem: ideoque *nocturnus fur* ex lege Dei impune occidi potest. *Exod. 22. vers. 2.* Idemque jure Canon: *cap. 3. de homicid.* ex lege quoque Solonis, ut attestatur *Demosth. in orat. adversus Timocrat.* & apud Romanos *ex il. 12. tabb.* ex quibus hanc refert *Macrobi. lib. 1. Saturnal. cap. 4.* Si *nocturnus fur* faxit, & aliquis eum occidit, *jure cæsus esto*: in quam sententiam & *Gellius. l. 11. noct. attic. cap. 18.* Ratio hujus rei duplex fuisse videtur, vel quia *noctu* non potest in clamari auxilium: vel potius quia eo tempore non potest discerni an ad *furandum*, an ad *occidendum* venerit. Sed ut *nocturnus fur* jure occidi possit, requiritur testificatio cum clamore. *l. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil.* & ut sine periculo ei parci non potuerit. *l. 9. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

2. *Furtum* aliud est *domesticum*, aliud *non domesticum*. *Furtum domesticum* est quod a personis domesticis, puta uxore, liberis, servis committitur. Notandum est quod constante matrimonio actio furti famosa inter conjuges cesset, propter honorem matrimoniī, conjugumque necessitudinem, atque vitæ totius societatem, ejusque loco datur actio rerum amotarum in *simplum*. *l. 52. §. 1. & 2. ff. b. t. l. 17. C. eod. l. 1. 2. & seqq. ff. de act. rer. amot.* si nimis divortium secutum sit. Si non sit secutum, res condici potest. *l. 25. ff. eod.* vel agitur actione in factum ad interesse. *l. 2. C. eod.* hinc sequitur quod multo minus conjux a conjugē extra ordinem furti accusari possit, cum criminale judicium plerumque gravius sit, quam civile. Servi quoque & liberi, quos in potestate habemus, *furtum* quidem nobis faciunt, furti tamen actione non tenentur, ratio duplex redditur: prima quia natura est impedimento, quod non magis cum his quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsi agere possimus. Secunda ratio est, quia necesse non habet pater vel dominus litigare, sed statuere ipse in furem potest.

14 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

*l. 16. & 17. ff. b. t.* quantum ad filios familias attinet, tertia ratio addi potest, quod vivo parente domini existimantur & participes parentum. *l. 11. ff. delib. & post.* Sed quod diximus ipsum patrem vel dominum statuere in furem posse, hoc limitandum est, si atrocitas delicti graviorem exigit animadversionem. *l. 3. & 4. C. de patr. pot. l. un. C. de emend. serv.* temperandum quoque est quod diximus de furti actione, ut licet ea adversus filium familias non detur, si tamen peculium castrense habeat, utili actione patri teneatur. *d. l. 52. §. 5. ff. b. t. l. 4. ff. de judic.* ex contrario quoque si pater filio furtum fecerit, furti actione non tenetur: reverentia enim parentibus debita hoc efficit, ne contra eos turpis actio detur. *l. 1. 2. 5, & seqq. de obse. par. & patr. præst. 3.* *Furtum* dividitur ab objecto seu materia, quo nomine vel sit furtum rei sacræ, dictum sacilegium, vel Reipublicæ & est peculatus, vel hominis liberi appellatum plagium, vel pecorum aut pecudum, & dicitur abigeatus, vel denique alterius rei mobilis privatæ, simpliciter furtum nominatum. De his furtis vide *Bachov. ad Treutler. disp. xxx. lit. E. F. G. Bonifac. de furt. pag. 232. 248. 281. 229. & Menoch. arbitr. cap. 586. 4.* Et ultimo loco dividitur furtum secundum praxin in *simplex* & *qualificatum*, *simplex* est, cui nullum aliud crimen aut circumstantia adhæret, *qualificatum* cum talis circumstantia adest. Vide *Damhoued. prax. crim. cap. 110. defurt.*

X I.

Huc usque egimus de ipso delicto, sequitur nunc ut videamus de pena, quæ delictum ut umbra corpus sequitur. Pena furti, tam apud Romanos, quam apud alias gentes, varia fuit. Nam alii pena pecunioria tantum, alii flagellatione, alii fustigatione, alii effosione oculorum, aut alicujus membra amputatione, alii gravius etiam, adeoque morte fulta multarunt. Vide *Alex. ab Alex. 6. genial. dier. 10. Bodinus lib. 6. de Repub.* Draco Atheniensium legislator omnes fures capitis suppicio puniendos esse censuit. Solon postea suribus dupli penam irrogavit. *Gellius lib. II. cap. ult.* Romani, qui leges suas ab Atheniensibus & Lacedæmoniis acceperunt,

§. 10.

§. 10. *J. de jure nat. gent. c. civ.* neque pari severitate in puniendis omnium generum furtis, neque remissa nimis lenitate, usi sunt. Etenim Decemviri fures manifestos, homines liberos, verberari addicique jusserunt ei, cui furtum factum esset. Servos fures manifestos, verberibus affectos, e saxo voluerunt præcipitari. Nec manifestos fures dupli poena affecerunt. *Gell. lib. 11. cap. ult. &c* hæc poena apud Romanos in usu mansit. Sed poena furti manifesti exolevit, & Prætores in ejus locum poenam quadrupli substituerunt, tam ex servi, quam ex liberi persona. §. 5. *J. de obl. q. ex del. nasc.* quas pœnas non evitat fur suâ pœnitentiâ, si postquam rem abstulisset, eam rursus domino sponte reddat. *I. 65. ff. b. t.* poena itaque furti manifesti prætoria est. *pr. J. de perp. & temp. att.* nec manifesti, civilis ex L. xii. tabb. descendens. Et capitis pœnam neque leges xii. tabb. neque Prætores in fures constituerunt. Satis justum enim videbatur, ut qui in pecuniâ lœsisset, & in pecuniâ puniretur.

## X I I.

Procedente vero tempore præter has pœnas ordinarias, est etiam extra ordinem in fures pœna constituta, secundum quam criminaleiter coerceri poterant. *I. ult. ff. b. t.* quam pœnam Imperator Justin. in *Nov. 134. cap. 13. & in auth. sed novo. C. de serv. fugit.* valde moderatus est, & constituit ne ob simplex furtum, facile alicui vita auferatur, vel membrum absindatur, sed ut fures alio modo, puta pœna pecuniaria, vel exilio, vel simili multandi essent. Postea vero furti severius vindicata sunt, propter crescentem hominum audaciam, furtorumque frequentiam, ad quæ coercenda pœnæ antiquæ jam non amplius sufficere videbantur. Ex constitutione Frederici Imperatoris capitale supplicium in fures est statutum, si modo rem quinque solidis, hoc est aureis, valentem fuerint furati, si vero rem minoris, scopis & forcipe tunduntur & excoriantur. *lib. 2. feud. de pace ren. & ejus violat.* idque ut dixi propter delicti frequentiam & fractam pacem publicam, & quod animos latronum habent fures, introductum est. Idem quod in Anglia regno adhuc hodie propter easdam rationes obtinere certum est. Quod

ad

## 16 DISPUTATIO JURIDICA

ad mores nostros attinet propter simplex furtum, nisi forte nulla spes supersit emendationis, non puniuntur capit. Statuto tamen Ultrajectino Rubr. 39. (quod tamen per omnia non servatur) hæc poena constituta est, ut si simplex sit furtum, qui deliquit prima vice virgis cædatur, secunda vice ea pœna repeatatur & ei insuper absindatur auris, tertia vice sine metu suspendatur, nisi tamen minor ætas, vel justa causa judicem ad pœnam mitigandam moverit. Quod si furtum fuerit qualificatum, ut si quis hospitem depredetur, vel tempore incendi furtum committat, & prima vice mortis rei judicabitur, nisi examinatis circumstantiis aliter judici fuerit visum. Vide const. Caroli Quinti art. 157. & seqq. Const. Imper. caus. crim. & Anthon. Matib. de crim. lib. 47. tit. I. cap. 3.

## X III.

A pœna ad actiones transeamus: odio furum effectum est, ut pluribus teneantur actionibus. §. 14. *J. de act.*: ut actione furei, conditione furtiva, Rei vindicatione, actione ad exhibendum, & tandem actione seu accusatione extraordinaria. *I. 7. §. 1. ff. de cond. furt.* *I. ult. b. t. I. ult. ff. de priv. del.* *Actio furti est actio personalis pœnalis famosa.* que datur domino, omnibusque iis quorum ex honesta causa interest, adversus furem manifestum in quadruplum, nec manifestum in duplum. Personalis est quia oritur ex delicto; pœnalis quia hæc actio, sive manifesti, sive nec manifesti solam pœnam persequitur, ita ut extra duplum aut quadruplum adhuc ipsa res restituenda sit. *§. ult. I. f. b. t. §. 18. J. de act.* datur omnibus quorum interest, rem non fuisse surreptam. *§. 13. J. b. t. I. 10. I. 14. §. 16. & I. 15. §. 2. ff. b. t.* Interesse autem oportet ex justa & honesta causa. *I. 11. ff. b. t.* secus si ex turpi & inhonestâ causa intersit, itaque neque furi, neque malefici possessori furti actio datur, quamvis intersit ejus rem non surripi. *I. 12. §. 1. ff. b. t.* quoniam nemo de improbitate sua consequi debet actionem, neque ex suo delicto meliorem suam conditionem facere. *I. 134. §. 1. ff. de R. J.* Ideoque soli bona fidei possessori non etiam prædoni seu malefici furti actio

actio competit. d. l. 12. §. 1. ff. b. t. Excipendus tamen est casus, quo ipse fur furti agere potest: ut si ego tibi polienda vestimenta locavero, tu vero, inscio aut invito me commodaveris Titio, & Titio furtum factum est, tunc tibi competit furti actio, quia custodia rei ad te pertinet: & mihi adversus te, quia non debueras rem commodare, quod faciendo furtum commisisti. l. 48. §. 4. ff. b. t. Præterea hic, ut furti agatur, interesse oportet non modo propter creptam lucri occasionem, sed etiam damnum datum: nam ei qui de lucro captando, aut turpiter dicit sua interesse, non competit hæc actio. l. 71. §. 1. ff. b. t. Denique interesse debet ex jure in re, veluti proprietatis interceptæ, vel pignoris, vel possessionis: nam rei tantum promissæ aut debitæ ratio non habetur. Ideoque is, cui ex stipulatu res debetur, furti agere non potest, si ea surrepta est. l. 13. ff. b. t. quemadmodum & is qui emit, si non est tradita ei res, furti actionem non habet l. 14. ff. b. t. sed venditoris est hæc actio. Et porro constat creditori, fulloni seu conductori, bonæ fidei emptori, commodatario furti actionem dari. *Passim* J. de oblig. quæ ex del. nasc.

## X I V.

Primum igitur *Creditori*, cui pignus surreptum est, §. 14. J. de obl. q. ex del. nasc. l. 12. §. 2. ff. b. t. licet non sit dominus pignoris, ejus tamen interest rem pignori datum salvam esse, quia a debitore pignore culpa ejus amissio pignoratitia potest conveniri actione. l. 14. §. 6. ff. b. t. Consultius quoque ei est pignori incumbere, quam in personam agere: plus enim cautionis in re est, quam in persona. l. 25. J. de R. J. quod etiam *Martial. lib. 12. epigramm: his verbis ostendit.*

*Cum rogo te nummos sine pignore, non habeo, inquis*

*Idem, si pro me spondet agellus, habes.*

*Quod mibi non credis veteri I helesine Sodali,*

*Credas colliculis, arboribusque meis.*

Nec refert, debitor ipse eam surripuerit, an extraneus, quia æque adversus dominum atque extraneum actio furti datur. l. 21. §. 2. l. 19. §. pen. & ult. ff. b. t. Illud tamen interest;

## 18 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

quod si creditor agat cum extraneo, tum duplatur aestimatio ipsius pignoris, & id debito imputat, quod superest restituit. Si vero adversus debitorem egerit, restituitur summa debita cum usuris, quod lucro Creditoris cedit. *l. 15. l. 87. f. b. t. l. 22. ff. de pign. act.* Datur furti quoque actio *conductor*, ut pone, fulloni polienda, curandave, aut sarcinatori sarcina vestimenta dedi, certa mercede constituta. Vestimenta fulloni itemque sarcinatori sunt surrepta, hic fullo & sarcinator furti actionem habent, quia ipsorum interest, vestimenta salva esse, eo quod domino ea restituere tenentur actione locati, si culpa ipsorum levi, vestimenta perierint. *l. 14. §. 12. ff. b. t.* Hæc tamen ita procedunt, si fullo & sarcinator domino rei aestimationem solvere possint: nam si non fuerint solvendo, sive in toto, sive in parte, quia hoc casu domini interesse incipit, qui suum à fullone aut sarcinatore consequi non potest, ipsi domino competit furti actio. *§. 15. f. de obl. que ex del. nasc.* Tertio, furti actio *bona fidei empori* datur, si res quam bona fide possidet, ipsi surrepta sit, quoniam ejus interest rem non surripi, ut eam possit usucapere & fructus ex ea percipere. Debent autem hæc ita intelligi quando res tradita est, nam re nondum tradita emperor non habet actionem furti, sed vendor. *l. 14. pr. b. t.* Olim quoque furti actio dabatur *commodatario*, idemque juris in commodatario erat, quod supra diximus de fullone & sarcinatore; sed jure novo *Justinianus* fecit aliam constitutionem, quæ est *lex ult. C. b. t.* una ex 59. decisione: ejus summa hæc est. 1. Si res commodata sit surrepta, dominus habet electionem, utrum furem velit convenire actione furti, an commodatarium actione commodati. 2. Uno electo ad alterum regredi non potest. 3. Si ignarus elegerit commodatarium, re comperta potest se convertere ad furem. 4. Si dominus suum consecutus sit à commodatario, tunc illi soli competit actio furti.

## X V.

Quod ad depositarium attinet, is non habet actionem furti. *l. 14. §. 3. ff. b. t.* ratio est, quia depositarii nihil interest, rem de-

depositam salvam esse , cum re deposita subtracta , a domino conveniri non possit , utpote qui de culpa levi & levissima non tenetur , sed de dolo tantum , §. 3. *J. quib. mod. re cont. oblig.* & si dolo ipsius res subtracta est , periculum quidem ipsius est , sed ipse furti non aget , quia non debet ex dolo suo sibi furti actionem querere . §. 17. *J. de obl. q. ex del. nasc.* Sed an depositarius non habeat actionem furti , si ex conventione in deposito præstat culpam levem ? quod affirmatur , quia jam propter levem culpam ejus interest . Et manifeste hoc probatur ex §. 2. *J. de vi bonor. rapt.* datur hæc actio contra furem , & si plures sint , contra singulos in solidum , sic ut unius præstatione cæteri non libererentur . *I. 1. C. de cond. furt.* non datur contra hæredem , quia hæc actio pœnalis est §. 18. *J. de act.* nisi lis sit contestata , quia per eam facta est novatio §. 1. *J. de perp.* & temp. act. nec contra mercenarium , aut libertum , aut domesticum , si vilius sit furtum . *I. 11. §. 1. ff. de pœnis.* *I. 89. ff. b. t.*

## X V I.

Explicata actione furti , sequitur ut agamus de actionibus rei persecutoriis , quæ ad ipsam rem fурto sublatam repetendam dantur ; odio enim furum , quo pluribus tenerentur actionibus , non modo furti actione pœnali , sed etiam ad exhibendum , & Rei vindicatione , & condicione furtiva cum his agi potest . *I. 7.* *§. 1. ff. de cond. furt.* *§. 14. J. de act.* Condicione furtiva est actio personalis , qua datur domino rei furtive , ejusque hæredibus , adversus furem ejusque hæredes , ad rem furtivo ablatam restituendam cum fructibus & accessionibus . Hæc actio personalis est , quia ejus fundamentum est delictum privatum , unde dicitur nasci ex causa furtiva *I. 2. I. 9. de cond. furt. competens ei* , qui & tempore furti facti , & quo actio intentatur , dominus est . *I. 1. ff. eod.* nam si alterutro tempore res furtiva ad alium pertinuerit , hæc actio non datur . *I. 10. §. 2. 3. I. 11. ff. eod.* multoque minus si agere volens neutro tempore dominium habuerit : hinc non competit legatario , si res legata subtracta fuerit ante mortem testatoris , quia ipsi

## 20 DISPUTATIO JURIDICA

res non est ablata, d. l. 11. nec fructuario, si fructus pendentes fuerint desecuerit, quia deum perceptione fructuum sit dominus l. 12. §. 5. ff. de usfr. nec commodatario aut depositario, quia nunquam dominium habuerunt. l. 14. §. 16. ff. b. t. sed competit hæredi d. l. 11. scilicet si constet dominium ad alium non esse translatum. Tutoribus quoque & curatoribus hæc conditio competit, quia loco dominorum habentur. l. 56. §. pen. ff. b. t. etiam bonæ fidei possessori, quia similis est domino, & instar domini publiciana actione rem vindicare potest. rot. tit. ff. de publ. act. datur adversus furrem. §. ult. f. de obl. q. ex del. nasc. ejusque heredes, licet infantes sint aut furiosi. l. 2. & 7. §. 2. ff. de cond. furt. in solidum proportione hæreditaria, licet nihil ad eos pervenerit. l. 9. ff. de cond. furt. non datur adversus eum qui ipse furatus non est. l. 5. ff. eod. ut si ope & consilio alicuius furtum factum sit. l. 6. ff. eod. quod si plures simul rem furati sint, omnes in solidum tenentur, unius tamen solutione cæteri liberantur. l. 1. C. de cend. furt. Dicitur porro ad rem furto ablatam restituendam cum omnibus fructibus. l. 8. §. 2. ff. eod. & omni interesse. l. 3. ff. eod. si res extet ipsa corpora petuntur. l. 8. pr. ff. eod. licet forte mutata & in aliam formam redacta sit. l. 13. ff. eod. si vero res non extet, facienda est aestimatio, quanti ea unquam plurimi fuit a tempore furti facti, ad tempus rei iudicandæ. d. l. 8. §. 1. ff. eod. Ratio est, quod fur semper moram facere videatur. d. l. 8. & l. ult. ff. eod. qui autem in mora est, illius periculo res perit. l. 5. ff. si cert. per. l. 12. §. ult. ff. depos. l. 47. §. fin. ff. de legat. I.

## X V I I.

Sequitur rei vindicatio, quæ est actio civilis. §. 4. f. de act. ex ipsis ll. xii. tabb. Gell. lib. 20. cap. 9. realis ex dominio nata, datur sibi domino, qui vel jure gentium, vel jure civili dominium acquisivit, l. 23. pr. ff. de R. Vind. l. 25. ff. de obl. & act. adversus ipsum furem, vel quemcunque alium possessorem. §. 1. f. de act. nec interest, utrum suo nomine possideat, an alieno nomine sit in possessione. l. 9. ff. de R. V. nisi hoc, quod alieno nomine possidens liberetur, si dominum nominet. l. 2. C. ub. in rem act. datur &

& contra eum, qui dolo malo possidere desierit. l. 27. §. 3. ff. de R. V. vel tanquam possessor litis obtulerit. l. 7. & 25. ff. eod. ut rem restituat cum fructibus & omni causa. l. 13. ff. de R. V. Actio ad exhibendum est actio preparatoria rei vindicationis. l. 1. ff. ad exhib. personalis. l. 3. §. 3. ff. eod. in rem scripta, arbitraria, §. 31. f. de act. datur ei, cuius ex peculiari & proprio jure interest rem exhiberi. l. 13. ff. eod. adversus quemcunque possessorem, sive naturaliter, sive civiliter possideat, sive simpliciter detineat rem, l. 3. §. ult. ff. eod. sive dolo malo possidere desierit l. 5. §. ff. eod. ad id ut rem exhibeat cum omni suâ causâ, id est utilitate, partu, foetu, fructibus & accessionibus. l. 9. §. pen. & ult. ff. eod. aut si deterioram exhibeat, ut solvat id quod interest. §. 3. f. de offic. Jud. Denique extraordinario adhuc agitur judicio: quando judex arbitrarie punit. l. ult. ff. h.t. Vide Thes. 12. Omnes hæ actions rei persecutorie concurrunt cumulative cum penalii, ita ut postquam furti in duplum vel quadruplum est actum, adhuc rei vindicatio vel condic̄io furtive institui possit. §. ult. f. de obl. q. ex del. nasc. l. 7. de cond. furt. sed condic̄io furtiva & rei vindicatio, concurrunt elētive. l. 43. §. 1. ff. de R. f. ut & actio furti & extraordinariâ, quia utraque ad poenam tendit. Atqui bis idem peti non potest l. 57. de R. f. quatenus igitur actionum finis diversus est, eatenus cumulan- tur, quatenus in idem tendunt, consumuntur. l. 34. §. ult. ff. de oblig. & action.



# COROLLARIA.

I.

*Tutelæ datio non fluit ex vi jurisdictionis, sed ex speciali privilegio, ideoque alteri mandari non potest.*

II.

*Lex. 2. C. de Rescind. vend. non habet locum in transactione.*

III.

*Minor 25. annis potest esse procurator ad lites.*

IV.

*Quod metu cogente gestum est, non est ipso jure nullum.*

V.

*Maritus constante matrimonio est dominus dotis.*

VI.

*Fidejussor non tenetur in usuras ob moram rei principalis.*

op

OP DE  
TWIST-REDENING

*Van den Geleerden HEER*

# KAREL MARTENS

Aangaande de *DIEFSTALLEN.*

*Quid non mortalia pectora cogis  
Auri sacra famæ?*



Oo lang de suiv're mensch die gulden eeuw be-  
leefde,  
Dat in sijn ed'le borst een yver was gedrukt,  
Die sonder dwang of schrik na 't Wezentlijke  
streefde,  
En hy, in God vernoegt, wierd hemel-waarts  
gerukt.

Soo was 't een blijde tijdt : toen wist men van geen wetten,  
Die, door de wraak gestaft, als met een stale magt  
Aan 't breidelose grauw een perk of flagboom setten :  
Terwijl 't vrywillig volk van selfs hun plicht betracht.

Maar na dat d'ysere eeuw dit schoon gelaat der dingen  
Bemorst had, en verdrayt; ja met een flinxse handt  
Den recht-geschapen mensch ging als den nek verwringen,  
En wenden van sijn Son, berovend' hem dit pandt.

Toen wierd sijn yver kout, en d'onbesuyde driften  
Vermeest'ren sijn verstandt, en lopen haren gang,  
En hy nu onbequaam om 't goedt van 't quaadt te schiften,  
En luistert na geen wet, noch wil in geen bedwang.

Toen

Toen quam de baatsucht in , omstoeyt met sijn gesellen ,  
Geveinstheit , list , bedrog , en openbaar gewelt ,  
Die zamenwoeren om het Recht ter neer te vellen ,  
En al wat billijk oyt van haar was ingestelt.

Want hy die eertijds socht het ware goedt daar boven ,  
Die vroet nu in een stof , en hongert na een gout  
Dat noyt verzagdigt , maar tot stelen en tot roven  
De lust van die 't besit gedurig blakend houdt .

*Heer MARTENS* , dit gedrogt met al sijn vuile grepen  
Hebt gy te recht ontdekt , en *Cacus* in sijn nest  
Betrapt , en afgemaakt , om uit sijn hol te slepen ,  
En wrekt u destig aan die dodelijke pest .

Stap voort dan *Themis* Soon , ontfang met haast dien louwer  
Die sy Gerechtigheit aan hare Dienaars gaf  
Verblik noch bloos niet eens voor desen strijd , maar houw'er  
Soo rustig maar op in , en flaat dien vyant af .

Op dat d'aloude deugdt eens weder mag herleven ,  
Het ongekrukte recht , dat als verslagen leydt ,  
En haar verwoeste theroon uit puin word opgeheven ,  
Die ics , onwrikbaar staand' , verduren sal den tijdt .

D. S.

